Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dan. Stalii Regulae Philosophicae explicatae & Orationes aliquot

Stahl, Daniel

Jenae, 1662

Regula XV. Sublato toto, non necesse est tolli omnes partes

urn:nbn:de:bsz:31-102400

Visual Library

eſt, ut omnes ſpecies ſunt in rerum naturâ, ſed ſufficit, ſi una ſit.

IV. De *toto integrali* etiam poſſumus loqui de tribus illis modis, quos poſuimus in Regulâ præcedenti. Secundùm primam enim conſiderationem *poſito toto non neceſſe eſt, omnes partes poni*, ſed diſtinguendum eſt inter partes principales & minus principales. & *poſito toto, neceſſe eſt quidem, omnes partes principales poni*, (ut ſi homo ſit, oportet, cor habeat, cerebrum, &c.) ſed non *neceſſe eſt, poni etiam minus principales*. Poteſt enim v. g. homo eſſe, etſi manu aut pede careat.

V. Juxta ſecundam conſiderationem. *Poſito toto neceſſe eſt, omnes poni partes*: quemadmodum ut ſit animal cornutum, requiritur, ut non modò membra principalia, ſed & cornua habeat. De tertiâ conſideratione, conſule Regulam præcedentem.

REGULA XV.

Sublatô totô, non neceſſe eſt tolli omnes partes.

I. Excipiendum videtur totum ſimilare, quatenus ſignificatur nomine ab eſſentiâ ſumtô. Ut enim lapis vel lignum deſtruatur, neceſſe eſt omnes ligni vel lapidis particulas deſtrui. Et ratio eſt, quia eſſentia totius ſimiliaris in quâlibet etiam minimâ parte conſiſtere,

II. Dixi *quantum ſignificatur nomine ab eſſentiâ ſumto*, ſeu, *quatenus totum ſecundum eſſentiam ſignificatur.* Nam dantur nomina, quæ ſignificant totum integrale, ut officium quoddam, aut figuram, aut aggregationem partium important: qualia ſunt, fiſtula, vena, mare &c. Totum integrale enim, quatenus hujusmodi nominibus ſignificatur, ut non ſit, non neceſſe eſt, ut omnes partes non ſint, ſicut e. c. fiſtula non eſt amplius, quando fracta eſt, etiamſi partes ſuperſint

Regularum Philoſophicarum

DISPUTATIO. XII.

continens

REGULAS XVI.

pertinentes ad doctrinam

GENERIS ET SPECIEI.

PRæcedenti Diſputatione primariò ſpectavimus totum eſſentiale & integrale; nunc proponemus Regulas, totum univerſale & partes ejus, quæ ſubjectivæ dicuntur, concernentes. Eſt autem totum univerſale genus reſpectu ſpecierum & individuorum, ut & ſpecies reſpectu individuorum. Pars ſubjectiva eſt ſpecies & individuum reſpectu generis, ut & individuum reſpectu ſpeciei.

RE-